


# DEO OPTIMO MAXIMO
# UNI ET TRINO,
## VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
### Orthodoxorum Medicorum Patrono.
# QUÆSTIO MEDICA,
## *CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,*
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis decimâ-octavâ mensis Februarii, anno Domini MDCC. LXXVII.*

M. JOANNE-JACOBO BELLETESTE,
Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside.

*An à pertinaci labore mors?*

I.


*ITA*, qualecumque functionum saltem vitalium exercitium est, aut etiam earum exercendi potestas; consistit in agendi vi & sentiendi facultate. *Sanitas* est liberum, facile, alacre, constans & tempestivum omnium functionum exercitium; consistit in perfectâ plenâque agendi ac sentiendi libertate. *Mors* denique omnium est non solùm functionum sed & facultatum cessatio. Nullum est divinæ sapientiæ potentiæque nobiliùs argumentum quàm quod erui potest ex humani corporis constitutione. Quot enim in ipso numerantur functiones, tot promantur

miracula. Licet etiam unumquodque organum vitâ donari propriâ videatur, omnia tamen mutuâ inter se connexione conjunguntur, undè necessitudo reciproca & partium cunctarum sympathia generalis. Ex perfecto libero & alacri omnium functionum exercitio quot bona! Sensus eximius, actio prompta, digestio facillima, χύλωσις perfecta, liber circuitus, facilè secernendis iter, secretionum excretionumque ordo naturalis, crasis optima, modicus calor, debita corporis agilitas, virium reparatio, certior fecunditas, athletica progenies, benè parta longævitas. Sed Eheu! corpus nostrum cujus mox elegantem demirabamur fabricam, quàm innumeris jacet obnoxium periculis! Morte undique cingimur. Ipsæ sanitatis tuendæ causâ à naturâ nobis impertitæ vires quàm sæpè funestas strages edidêre, quàm hostiles sæpè vitæ ipsi turbas intulerunt? Hæ demùm labore ipso, cujus modico usu debuissent invalescere, non raro subvertuntur. De laboris tamen utilitate consensus omnium unanimis. *Qui comedit*, ait divus Senex (1), *sanus esse non potest nisi laboret*. Labore enim exundans humorum copia consumitur, à sordibus liberatur corpus, auctâ deinde liberâ & æquabili sanguinis omniumque humorum circulatione, tenuissimorum tubulorum alveoli aperti servantur; labor humores attenuat, addensat, concoquit; & solidorum robur instaurat. Sed modus sit in rebus: nimium enim omne malum est, laborque naturæ vires exuperans has tandem obruit; usquequò igitur illi indulgendum est? Id spero, dirimet inter utiles modici, noxiosque immodici laboris effectus ritè instituta comparatio.

## I I.

OMNE humanum genus æqua sollicitat agendi necessitas. Felix si suas sibi quisque partes ritè seligeret; si sua quemque juvaret conditio; si moderatè omnibus, etiàm labore sciret uti. Laboris genus duplex: alius quippè membra exercet, mechanicus labor seù *labor* propriè dictus; alius verò qui detinet animos, *studium* audit. Jàm verò labores inter, aliis multùm, aliis modicè corpus movetur, in aliis moles agit tota, in aliis agunt tantùm quædam ejus partes, demùm sunt alii qui utrumque hominis principium æquo jure afficiunt. Labor quicumque fuerit omnis in motu situs est. Porrò pars quæ magis movetur multò magis increscit, ampliatur, roboratur, crassiores insunt musculi, vasa latiora, pulsus firmior: principio labuntur facilè ejus vires, promptaque succedit hujus delassatio, usu autem sæpè repetito diuturniori peragendæ operæ magis fit idonea. Sunt tamen sui hujusce laboris limites: supervenit usquè hæc delassatio, citiùs quidem in debiliori, in robustiori seriùs. Undè necessariò revocanda quies, quam dùm laboris tædium infundit natura ipsa nobis videtur suadere.

Quod in partibus variis illud etiam in toto similitèr obtinet, nisi quod motu juxta partes universas æquè distributo suam quæque symbolum afferant, universæ concurrant vires; hinc ab æquo labore major utilitas & generalior, minus prompta defatigatio, hinc eadem major quando ipsa persentitur quietis capessendæ necessitas. Labore universi corporis roborantur fibræ omnes, omnium augetur tonus, activitas visque hæc *vitalis immutans* quâ fluidæ partes velociùs impelluntur, atque à vehementi nisu vehementiores renixus subeunt, magis attenuantur, elaborantur, secernenda secernuntur, excernuntur impura; hinc revectis intùs humoribus crasis optima, sua functionibus servata libertas, sanitas egregia, firma & longæva constitutio.

Plus sanitati nocent quàm proficiunt ut studia, sic & labores *sedentarii* dicti,

(1) Hippoc. L. Epidem. 6.

quibus, immoto corpore, diù versus idem objectum mentis attentio dirigitur. Juvant animum, fateor, diversa in scientiis ingenii tentamina, suæ sunt etiàm musarum illecebræ, nihilòminùs actionum normam disturbant studia. Desident enim tùnc musculi, pronoque corpore premuntur & pectoris & abdominis viscera, difficilis respiratio vix pulmones explicat, torpent secretionum organa, inde quidem pressa, inde verò lentis, spissis, stagnantibusque vix patentia humoribus, lenta digestio, pulsus debilis, nulla perspiratio; excernenda retinentur, pallor & maci s corpus deturpant, imo & vitæ præsides feriantur sensus; hinc prò tempore studendi tædium, difficilisque intellectus, hinc utique corporei exercitii necessaria vicissitudo, quo sine iam pertinacius fit studium; unde à diuturniori labore, mille clades, mòx in decursu referendæ.

III.

EX nimiâ quiete & labore nimio tanquàm è duplici fonte dimanare videtur omne genus morborum. Semper plectitur qui pertinaci labori indulget. Nec mirum. Motu enim repetito concussæ solidorum partes; nervos fatigant, dissipantque vires; actus ingenti pressione sanguis atteritur, tenuatur, incalescit, exsiccatur: tunc vel in partes adactus violentiùs, hæret per extremos canales, distendit, stimulat, irritat, phlegmonas concitat, vel intrà vasa coercitus cephalalgias, pul'a'iones, febres synochas provocat, & inflammatorium genus omne. Sic partes perpetuo torrentur æstu. Indè peripneumoniæ, pleuritides, phrenitis, agmen triste, ferox, sævæ mortis prænuncium. Nec minor malorum caterva litteratos invadit, eò magis immedicabilis quòd lentiùs admissa profundiores agat in corpora radices, & ab ipsâ naturæ debilitate originem sumat & pertinaciam: immoto scilicet atque inerti corpore, fibræ laxantur & fatiscunt, deficiunt solidis & stimulus & actio, languet fluidorum motus lentoque circuitu nullus calor, nulla assimilatio, prava nutritio, pravæ secretiones, deficientibus succis, arctato ventriculo, pressis inæqualitèr intestinis mala digestio, chylosis mala, pejor hæmatosis, inde pallidus oberrans per laxa vasa sanguis brevi corrumpitur & posteà tanquàm morâ camarinâ tetro vapore corpus inficit. Indè diarrhϾ, dysenteriæque, & ex primarum viarum cœno emergens putridarum febrium agmen, quandoque humoribus imprimitur lenta scorbuti labes, indè infarctis visceribus cachexia, leucophlegmatia, hydrops, atrophia, paralysis adventantis mortis dura rudimenta.

IV.

NEQUE hæc vana sunt inanis Theoriæ ludibria. Quam enim inconsulti vivunt & miseri homines qui nunquam intra justos limites continentur! Quot ærumnas quot & quanta proprio errore patiuntur incommoda? Laborem diutiùs protrahentes aut viribus impar sibi imponentes onus, ineluctabilis fati accelerant gradum. Conjiciantur oculi in viatorem, qui per dies integros urente sole longius pedibus absolvit iter, tardos vix artus explicat, anhelantem ducit spiritum, ore vix spuit aridus, nec cibos appetit, somnum advocat sed incassùm, blanda recreans somnus denegat otia, fervet sanguis intra venas, urget incommoda totius corporis agitatio, diuturnâ febris ingruit, nî brevì exhaustis viribus miser occumbat. Hinc respice miserum durumque genus agricolas, aliosve diversis addictos laboribus, vel quos pauperies urget, vel auri sacra fames, qui quidem improbos non reformidant labores, vix illis somnum viresque sumere est animus, demùm exhausto corpore miserè pereunt Illinc conspicitur miles qui gravis armis longum ac difficile calcat iter sub ardente cœlo, nunc fame intolerabili ardentique siti devoratus in hostes præceps irruit, mox imbre madidus perfla-

tusque aquilonibus noctes sub dio ducit insomnes febrique inflammatoriâ correptus brevì tollitur. Non minorem timendi locum afferre alterum laboris genus quis ignorat? Exitii illius fatalis exempla quotidiè occurrunt, iis medicorum scripta referta sunt. » Quidam, *inquit Fernelius*, (1) dum litteris & chartis sedulò » invigilaret repentè catalepsi percussus, ita quidem obriguit ut sedens, cala- » mumque digitis tenens, oculis in libros defixis putaretur in eorum studia in- » cumbere, donec vocatus impulsusque deprehensus est omni sensu motuque » carere.

(2) » In litteratis sedentariam vitam degentibus, dum libris impallescunt, fre- » quenter à tali causâ oritur apoplexia, sed lentè & per gradus increscere solet » morbus. Primò enim oritur languor & amor quietis ac otii; dein incipit inge- » nium hebescere, memoria vacillare; somnolenti fiunt, stupidi, & sæpè diù in » hoc statu manent antequam moriantur. Vidi, *inquit autor celebris*, non sinè » magnâ commiseratione eruditissimos viros & de re litterariâ quàm optimè me- » ritos sibi ipsis quasi supervixisse per annum & ultrà omnium rerum immemo- » res, tandèmque apopleticos periisse.

Nonne hìc memorandi locus fatum exitiale baccalaurei, quem paucis abhinc annis mors cæca rapuit athletam doctrinâ, sagacitate, facundiâ tam insignem, futurum Medicinæ Parisiensis Scholæ decus, sed præmaturè ereptum, dùm benè meritas lauros mox collegerat.

V.

EXCLAMABIT profectò pallida litteratorum cohors: jam actum est de scientiis, ubi mortem excolenti parant. Sed bona verba quæso, non nocet labor nisi immodicus, nisi qui diuturnis animum fatigat & exhaurit curis; qui corpus anxietate longâ gravat, frænat liberiorem sanguinis motum, qui demùm impuriorem saburram ex longo colligit. Instant: labor animi mentem blandè afficit, quamdam toti corpori voluptatem inspirat, imò humorum juvat circulationem. Verum equidem, sed nimiam absumit copiam spirituum, qui ad eadem loca semper vergentes secretionibus & functionibus aliis exercendis jam non prospiciunt. Verùm tamèn quoad corporis laborem pergent adhuc, ex vestrâ assertione actum erit de totâ medicinâ: si quidèm omnia corporis exercitia, quæ totidem labores dici possunt, commendantur ab omnibus medicis v. g. equitatio, vectio in rhedâ, saltatio, deambulatio, &c. Optimè quidem commendantur non immoderatè ad defatigationem debilitatemque, sed moderatè ad excitandam perspirationem, ad humores naturâ suâ inspissatos leni motu attenuandos, ad faciliorem denique humorum miscelam & circuitum. Itaque qui labori interrupto neque viribus impari incumbit, hic omnia sanitatis optimæ præ se fert phænomena, qui verò assiduo pertinacique membra corpusque exercet labore, illius languet corpus, humores per vasa lentiùs vecti fibris debilioribus adhærent & putrescunt: undè jurè ac meritò concludimus,

*Ergò à pertinaci labore mors.*

(1) Pathol. L. 5 C. 2. Opera Omn. p. 406.
(2) Van Swieten T. 3. p. 263.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-JOSEPHUS THÉRY, Atrebatensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Thefeos Autor. A. R. S. H. 1777, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.